

The Electronic Manipulus florum
www.manipulusflorum.com

Prudencia siue prouidencia c
cum fontibus proximo et primo

Manipulus florum, Prudencia siue prouidencia c:

Cum uiderimus aliquem seruum Dei
prouidere ne ista necessaria sibi desint,
non
iudicemus eum

de crastino sollicitum esse. Nam et ipse Dominus
propter exemplum

loculos habere dignatus est,

et in Actibus scriptum est ea
que ad uictum sunt necessaria procurata esse
in futurum propter imminentem famem.

Augustinus in libro de sermone Domini in monte.

Fons proximus:

Ad tertium dicendum quod, sicut Augustinus dicit,
in libro de Serm. Dom. in Monte,
cum uiderimus aliquem seruum Dei
prouidere ne ista necessaria sibi desint,
non
iudicemus eum

de crastino sollicitum esse. Nam et ipse Dominus
propter exemplum

loculos habere dignatus est:

et in Actibus Apostolorum scriptum est ea
quae ad uictum sunt necessaria procurata esse
in futurum propter imminentem famem.

Thomas de Aquino, *Summa theologiae, Secunda secundae*,
55.7.resp.3 (P. Caramello ed., p.274).

Fons primus:

Hoc autem loco uehementuer cauendum est, ne forte,
cum uiderimus aliquem seruum dei
prouidere ne ista necessaria desint uel sibi
uel eis quorum sibi cura commissa est,
iudicemus eum
contra praeceptum domini facere et
de crastino esse sollicitum. Nam et ipse dominus,
cui ministrabant angeli, tamen
propter exemplum,
ne quis postea scandalum pateretur, cum aliquem
seruorum eius animaduertisset ista necessaria procurare,
loculos habere dignatus est
cum pecunia, unde usibus necessariis
quidquid opus fuisset praeberetur.

Augustinus Hipponensis, *De sermone Domini in monte*,
2.17.57 (CCSL 35, A. Mutzenbecher ed., p.150, ll.1266-
1275).

Item in actibus apostolorum scriptum est ea
quae ad uictum sunt necessaria procurata esse
in futurum propter imminentem famem.

Augustinus Hipponensis, *De sermone Domini in monte*,
2.17.57 (CCSL 35, A. Mutzenbecher ed., p.151, ll.1289-
1292).